

DISPUTATIO PHYSICA,

DE

Ortu & Proprieta-

tibus Mundi Hujus Adspectabilis,

Quam

Benignè adjuvante Autore & Conservatore Omnium

DEO TER-OPTIMO MAXIMO,

SUB PRÆSIDIO

VIRI

Admodum Reverendi & Clarissimi

JOHANNIS TABINGII,

S. S. Theolog. Doct. Log. Metaph. &
PHYSICES, nec non Gr. L. Prof. P.

Publicè tuendam proponit

JOHANNES PETRUS HERMANNI

Edencobâ Palatinus

AUTOR ET RESPONDENS.

Ad Diem Saturni

XXVII. Aprilis

In auditorio Theologico, horis consuetis,

Hist. nat.

A.

B R E M Æ,

320,19. Hermanni Braueri, Illustr. Gymn. Typogr.

ANNO MDCXCV.



V I R O

*Plurimum Reverendo, Excellentissimo,
Clarissimo, nec non Doctissimo Domino*

JOHANNI LUDOVICO FABRICIO, SS.


Theol. Doctori & Professori publ. longè celeberrimo, nec non Facultatis Theologicae in Academia Archi-Palatina Decano meritissimo, Senatori Ecclesiastico in Palatinatu dignissimo, vigilantissimo, viro meritis & consilio longè latèque exquisitissimo, magnæ & desideratissimæ Ecclesiae Patriæ Columnæ, Fautori & Patrono suo Devotionis cultu æternum prosequendo, venerando:

*Nec non
Viro Doctissimo, Consultissimo & Clarissimo
Domino*

JUSTO WILHELMO WISSENBACHIO,
J. Licentiate & Redituum Ecclesiasticorum
Palat. Consiliario dignissimo, meritissimo,
&c. &c. Fautori suo omni officiorum genere
colendo.

*Hasce Studiorum suorum primitias ea,
quâ par est, animi humilitate,
offert*

Autor & Respondens.



THES. I.

Varia & permulta veterum de mundo ejusq[ue] ortu fuerunt arbitramina. Aristoteles hoc fretus axiomatico: *Ex nihilo nihil fit*: eum non nisi æternum dixit, quod acriter defendere nonnulli ex ejus sequacibus non erubuerunt. Verùm hæc opinio cum veritate inconvenientissima jam dudum è Scholis & Academiis Philosopherum est explosa. Mundus enim esset aut creatus, aut increatus; si prius, hoc necessario in tempore fuisset factum: si posterius, esset & conservaretur à se, adeoque fieret independens, quod, an absque Blasphemia dici queat, libero lectoris judicio relinquo. Democritus & Epicurus ex atomis per accidens mundum esse conflatum asseruisse creduntur à plerisque. Sed, quid hac absurditate absurdius? Quid enim sunt atomi, nisi corpora insectibilia? Verùm omne corpus est extensum (cum sine extensione corpus ne quidem concipi possit) & quidem in longitudinem, latitudinem & profunditatem: Quod in longitudinem, latitudinem & profunditatem extensum est, illud ponit partes extra partes: Quod ponit partes extra partes, illud in eas semper est divisibile; ut mera sit contradictio, dicere corpus indivisibile. Imò, dum dicunt, ex ipsis mundum esse conflatum, evertunt, quod antea posuere. Illæ enim atomi aut contingerent se totas, aut tantum secundum partes; si prius, una non erit extra aliam, & per consequens corpus non constituerent. Si posterius, conceduntur ipsis partes, adeoque in eas semper divisibilitas. Impossibile etiam est,

A

ut

ut duo indivisibilia sibi invicem juncta divisibile constituent: Cūm autem omnia hujus mundi corpora sint divisibilia, sequitur, illum ex atomis non esse conflatum.

Th. 2. Alias opiniones libenter prætereuntes unam tantūm impræsentiarum eligemus, quæ nobis ex recentiore Philosophia præ cæteris maximè arridet. Hæc igitur mundum hunc aspectabilem ab ovo quasi & primis principiis secundūm leges à Deo rerum omnium creatore positas spectandum docet.

Th. 3. Et hæc Philosophandi methodus accusari nequit aut novitatis, cūm vel ipse Aristoteles l. i. de Repl. c. 2. talem lectoribus suis proposuerit; *Εἰ δὴ τις ἐξ ἀρχῆς τὰ πράγματα φύομενα βλέψειεν, κάλλισ' ἂν οὕτω θεωρήσειεν.* *Ultique si quis à principio res orientes ac nascentes inspexerit, hoc modo optimè rei veritatem perspexerit:* aut impietatis, cūm nullam incurrat legem præcipientem faciendā, vel vetantem omittendā. Necessaria quoque est & stupendæ in studio Physico utilitatis, cūm, quicquid hac ratione scrutamur, cognoscamus multò perfectiùs, quoniam, quod primo intuitu in eo cernere nequimus, variis ordine actibus lustrabimus, & quod simul & semel intellectu nostro valdè limitato capere non possumus, id nobis per partes illud rimantibus meliùs innotescet. Quales enim res sunt in fieri, tales sunt in factō esse, & quicquid habent in esse, illud per τὸ fieri acceperunt. Si hoc modo spectemus mundum, & nullis aliis utamur principiis, quàm quibus evidentissimè intelligimus mundum debuisse inchoari, si Deo lubuisset eum successivè fieri, nihilque admittamus, nisi quod per consequentias plus quàm Mathematicas vel certè mathematicis non imbecilliores, ex ipsis sequitur, omnia, quæ ex ipsis deducuntur, cum Phaenomenis naturæ quàm accuratissimè consentire experie-

perie.

periemur, ut quilibet ex paucis hisce pagellis aliquo modo perspicere poterit. Neque tamen negamus, hoc Universum sex dierum spatio à Deo fuisse conditum: Verùm hoc tantum dicimus, Deum hisce sex diebus talem mundo indidisse naturam, qualem fuisset consecutus, si ex primis principiis secundum leges ab ipso positas fuisset factus. Quod ut melius videamus, rem ipsam aggrediemur, nulla planè ponentes principia, nisi ea, quibus mundus in hunc usque diem conservatur, & continuò quasi reproducitur, materiam scilicet & motum.

Th. 4. Prima mundi materia fuit moles una continua & Mathematicè contigua, ut omnes ejus partes se immediatè contingerent. Non enim potuit illa esse porosa, quòd ullâ aliâ materiâ nequiverit impleri. Vacuum autem, (quod hîc esset admittendum) in natura dari, nemo sanæ mentis concedet.

Th. 5. Moles illa fuit quoque informis & indigesta. Forma corporum essentialis (substantialem enim non agnoscimus) propriè & strictè loquendo oritur tantum à motu: Cùm autem materia ista adhuc consideretur tanquàm immota, sequitur eam ab initio formam (quæ præter motum etiam consistit in figura, situ & magnitudine, ortum tamen ex motu trahentibus) habere non potuisse.

Th. 6. Deus materiam illam, ex qua mundus hic aspectabilis est factus, divisit in particulas varias, (ut dependentes à motu proprietates; figuram, situm & magnitudinem nancisci possent, cùm ante divisionem fuerit una & eadem, & omnes proprietates ad hoc reducerentur, quod sit divisibilis & mobilis) & insensiles, cùm natura operetur sensim sine sensu. Non potest autem natura hocce modo operari, nisi ope fluidi (quod est cor-

pus divisum in multas exiguas particulas motibus à se mutuo diversis agitata.) Necessè igitur erat , ut quævis particula separatim moveretur circa centrum proprium , ad constituendum fluidum , cum fluidum debeat facile cedere alteri corpori moto : Motus autem motui non est contrarius , sed quies : Quantò igitur minùs quiescit , tantò faciliùs cedit. Et hic motus dicitur fluiditatis , quoniam per eum constituitur fluidum.

Th. 7. Cùm autem ex his particulis varia debuerint exsurgere corpora , non potuerunt in eodem loco subsistendo circa propria centra tantùm convolvi ; sed & circa alia quædam puncta æquè à se mutuo remota , & quidem tot centra , quot jam sive lucida , sive opaca astra sunt in mundo. Imò cùm non potuerint moveri per lineam rectam , (quò enim tenderent , cùm ipsæ constituerent universum) non potuerunt nisi in circulos moveri , qui motus vocatur gyrationis.

Th. 8. Particulæ verò istæ , in quas totam mundi materiam diximus divisam , sive æquales , sive inæquales , (lubet tamen potius existimare æquales , cùm æqualitas & ordo Deo magis conveniat) ab initio non potuerunt esse Sphæricæ , cùm in puncto tantùm se tetigissent , adeoque 1. ex illis nihil potuisset componi. 2. vacuum esset admittendum : Interjecto tamen tempore necessariò accuratè rotundæ fuerunt factæ , quia particularum materiæ mobilis unæ alias debuerunt quaqua versus radere , atque hâc mutuâ razione debet atteri , quicquid in superficieculis illarum eminent : Attritis eminentiis particulæ factæ fuerunt perfectè Sphæricæ : Sphæricum enim illud est , ubi nihil protuberat. Hæc omnia satis constant ex artefactis per tornum , in quibus , quicquid eminent , superficietenus priùs & faciliùs abraditur , usque dum

COR-

5

corpus illud factum fuerit abrasione illâ rotundum.

Th. 9. Atque hîc Statim videmus duo genera materiæ valdè diversa. Alterum scobis five ramentorum, continuâ illâ abrasione ortum, quod est indefiniti motûs, indefinitæ parvitatîs & figuræ, ut aliis corporibus occurrendo dividatur in particulas minores, & figuras suas ad omnes angulos & angustias implendas accommodet, quod nos vocamus *Primum Elementum*, five materiam (ut postea patebit) siderum. Alterum, quod divisum est in particulas Sphæricas, valdè quidem minutas, si cum iis, quæ oculis cernere possumus, comparentur; sed tamen Sphæricæ, h. e. certæ & definitæ parvitatîs, quæ circa centrum gyratæ coelos constituere, quod nobis est *Secundum Elementum*, five materia vorticum. Cùm autem corpora ista rotunda, five globuli, in uno tantum puncto se tangant, adeoque semper juxta se Spatia triangularia, quadrangularia &c. relinquunt, necessariò impleri debuerunt ista intervalla ramentis minutissimis figuras aptas habentibus, quibus ad implenda innumerarum figurarum spatia sese accommodent.

Th. 10. Aucta verò, continuâ illâ abrasione Materiâ Primi, ut longè major fuerit ejus copia, quàm requirebatur ad Spatia interjecta replenda, confluit ad centrum, Cujus præcipua est ratio, quòd globuli in circulum gyrati conarentur recedere à centro: Quicquid enim circulariter seu in orbem movetur, tendentiam habet à centro eundi. Quod ut meliùs videamus, sciendum est, omnem motum aliquò esse determinatum, omnemque ex natura sua, quatenus immediatè pendet à Deo, habere determinationem unam & simplicissimam. Quippe cùm Deus sit ens Simplicissimum, temerè ipsi derogare simplicissimum modum operandi ad extra non licet. Simpli-

cissima autem determinatio est per lineam rectam, nam
 nulla linea est simplicior rectâ, quæ ducitur uno & sim-
 plici modo à puncto ad punctum, & à puncto eodem ad
 punctum idem, unâque plures rectæ non ducuntur;
 cum tamen à puncto eodem ad punctum idem plures cir-
 culi majores & minores duobus modis planè contrariis
 jam versùs hanc, jam versùs illam partem sint ductiles.
 Unde si dicis, motum ex se determinatum esse per obli-
 quam, teneris, cum multæ sint, certam determinare:
 Si dicis per hanc obliquam, quare non per alteram? Per
 circularem, aut per eandem circularem, sed initio factò
 à dextra versùs sinistram, non à sinistra versùs dextram?
 Quapropter, quia motus ex natura sua, quæ proximè con-
 servatur à Deo, aliquò determinatus esse debet, & nulli
 Philosophorum est licitum statuere & affirmare quicquam
 de modo divino seu producendi, seu conservandi, quod
 non quàm maximè conveniat naturæ divinæ, sequitur
 omnem motum, quatenus immediatè pendet à Deo, ha-
 bere determinationem unam & simplicissimam, quæ,
 uti jam dictum, fit per lineam rectam. Cum autem
 omne mobile naturâ suâ tendat ire per lineam rectam,
 semper retinet illam tendentiam, licet non semper effe-
 ctum, cum à corporibus illud circumstantibus aliò & per
 lineam maximè obliquam sæpius determinetur. Quic-
 quid igitur movetur circulariter, illud conatur ire per li-
 neam rectam circulum tangentem: Quod conatur ire per
 lineam circulum tangentem, illud conatur ire ultra peri-
 pheriam: Quod conatur ire ultra peripheriam, illud co-
 natur recedere à centro, quod nobis erat demonstran-
 dum. Quò autem corpora in circulum mota sunt ma-
 jora & Solidiora, eò majorem habent vim recedendi à
 centro, quòd Majorem possint recipere motum, eumque
 sibi

fibi impressum diutiùs retinere, ut cuilibet ex lapide in fundâ posito experiri licet; qui, si major, majorem; si minor, minorem habet virtutem à manu eundi. Cùm verò *Globuli Secundi* sint majores particulis *Primi*, sequitur eos habere majorem vim recedendi à centro: Quoniam autem vacuum non datur, nec dimensionum penetratio, recedentes à centro globuli particulas *Primi* versùs illud propellunt, (tot interim ubique extra centrum remanentibus, quot implendis parvis istiusmodi interstitiis penes globulos relictis sufficiant) quæ ibi motu à globulis sibi impresso vehementer gyratæ, solem & fixas, imò & interiorem Cometarum & Planetarum tam primariorum, quàm secundariorum regionem constituent.

Th. II. Ex iis, quæ jam diximus, necessariò sequitur, particulas secundi Elementi, quò sideri sunt viciniore, eò magis moveri, & per consequens minores esse remotioribus, usque ad certum terminum. Cùm enim e. g. Sol celerrimè circa axem suum gyretur (ut constat ex maculis in ejus superficie genitis) globulos sibi proximos secum rapit, adeoque viciniore (ob inæqualitatem spatiorum, quæ percurrunt, & motûs, quem à Sole acceperunt) debent minores esse remotioribus; siquidem inæqualitas motûs arguat inæqualitatem materiæ. Et licet ponamus, globulos sideri proximos esse majores, majorem tamen etiam haberent vim recedendi à centro circuli, & recessu isto pellerent minores versùs centrum. Omne autem agens finitum habet terminum activitatis, ultra quem ejus actio se non extendit; Sic quoque Sol suum in hac actione habet terminum, qui dicitur Sphærois, & est versùs Polos Solis (cùm ibi tantam non habeat virtutem, ut constat ex gyratione) depressior; ver-

sùs

sus Eclipticam ejus autem (cūm ibi majorem habeat vim) amplior & latior, ultra quam globuli, quò Soli sunt viciniore, eò majores & tardiores; quò verò ab eo remotiores, eò minores & celeriores existunt, non tantum quòd in fine vorticis premantur, ut Spatia fiant angustiora & motus celerior, sed etiam, quòd motus ipsis imprimatur à vorticibus circumstantibus. Motus autem motu adjutus non potest non fieri celerior, & per consequens corpus motum eò minus.

Th. 12. Alteratis & formatis jam vorticibus, spectanda nobismet venit ipsorum figura. Sunt autem illi corpora fluida, alias non possent lumen ad nos transmittere, quod tamen experientiae quotidianae quam maxime repugnat. Jam verò nullum fluidum certam habet figuram, sed recipit figuram ambientis, ut liquet in aqua, (quae, etsi sit corpus liquidum, dici tamen etiam potest fluidum) urceo infusa, qui, si fuerit rotundus, aqua rotundatur &c. Ergò quodvis coelum talem habet figuram, qualis efformatur & ipsi conceditur à circumstantibus. Si enim tres e. g. eum circumjaceant vortices, figuram recipit triangularem, si quatuor, quadrangularem &c. Simile apparet in favis apum, qui sexangulares sunt, cujus rei ratio est, quòd quisque favus cingatur sex aliis ejusdem magnitudinis, adeoque illum aequaliter prementibus. Accurate igitur Sphaerici vortices esse nequeunt, sed in tantum, in quantum id permittit ratio circumstantium. Ut nihil de hujus aut illius figura inspecie dicere possimus, nisi cognito circumstantium numero, qui nobis intellectu valde limitato praeditis non est notus.

Th. 13. Unde evidenter deducitur, moveri quidem coelos in orbem (non enim possunt moveri recta, cum ab obstantibus impediuntur) verum non describere motu

motu

9

motu suo lineam perfectè circularem. Cùm enim non sint Sphærici, sed valdè irregulares & figuram recipiant à circumstantibus, nequit eorum motus esse perfectè circularis. Quod ulterius probamus ex motu Planetarum, qui non moventur circulariter: Nullum enim ex se habent motum, sed quòd moveantur, in totum debent coelis, & hìc consentiunt cum motu cœlorum. Quamvis autem cœlum & ipsius motum cernere nequeamus, quòd illa, quæ lumen transmittunt, non sint visibilia; de eo tamen judicamus ex Planetis, quorum motus (cùm corpora sint lumen remittentia & per consequens visibilia) possumus observare. Elegans nobis præbet exemplum homo in curru sedens; Si enim ille non habet motum circularem, tum neque Currus; eundem enim, quem currus, habet motum. Planetas autem non habere motum perfectè circularem observarunt antiqui & hodierni Astronomi: Ascendunt enim aliquando, interdum descendunt: Errant subinde in longitudinem, subinde in latitudinem: Aliquando Soli sunt propinquiores, aliquando ab eo remotiores.

Th. 14. Spectatis vorticibus, consideratâque eorum figurâ, ordo postulat, ut progrediamur ad illorum magnitudinem. Et quanquam humani ingenii non sit, determinare ipsorum magnitudinem inspecie & absolutè, ob maximam eorum à nobis distantiam, possumus tamen illos mensurare respectivè, conferendo unum cum alio, & sic inveniemus eos mole inæquales esse, id indicante illâ alioquin inexplicabili in situ fixarum varietate. Plejades enim videmus admodum conjunctas, & circumstantes longè inde distitas, nec intermedias alias; haud improbabili argumento, mole seu magnitudine fixarum vortices esse inæquales.

B

Th. 15.

Th. 15. Uti cœlorum magnitudinem absolutè, ita & eorum situm in Specie nullus hominum determinare potest. In genere tamen spectando illam in situ fixarum constantiam affirmare possumus, eos inter se habere situm quàm maximè convenientem, remotâ omni atrocitate & pugnâ, ut unusquisque in eam partem feratur, secundum quam reliquorum omnium circumstantium motus minùs illi adversantur. Minùs autem se impediunt vortices, si Eclipticæ tangant polos, aut (quia hoc ob diversam vorticum magnitudinem semper fieri nequit, quemadmodum videmus in Gigante ad mediorris stature hominem posito, quòd brachia brachiis, aut crura cruribus accuratè non respondeant) partes circumpolares. Non possunt enim se tangere quoad Polos, sic enim consentiendo in unum vorticem coalescerent, vel dissentiendo sibi mutuò quàm maximè repugnarent. Nec quoad Eclipticas, cum versùs eas (ut ex gyratione est manifestum) maximus vorticum sit motus, & sic cum semet ipsis invicem certarent: Nullum autem violentum est diuturnum. Ergo Eo, quo dictum est, modo, sibi invicem jungi vortices, summa eorum arguit constantia & accurata eademque semper fixarum inter se distantia.

Th. 16. At, inquis, quomodo hac ratione vortices inter se consistere possunt, si Eclipticæ tanquàm loca fortissima tangant polos motu multò debiliores, quin potius Ecliptica unius absorberet polum alterius? Verùm etsi ponamus polum hujus cœli comprimì ab Ecliptica alterius, fatendum tamen, Spatium ibi fieri angustius, & consequenter motum celeriore; contrà verò Eclipticâm ampliorem atque latiore, & motum ejus tardiore. Globuli enim ab una parte retinent conatum suum
eundi

eundi à Centro , ab altera parte imprimitur ipsis motus à vortice premente : Et quod accedit, cum materia primi eo, quo postea dicemus, modo per polos versus fidus proficiscatur, globulos necessariò inde pellit versus polos : Qui triplex motus impedit, quò minus vortex possit absorberi. Longè verò aliter se res habet in generatione Planetarum & Cometarum, ubi totum sidus maculis obductum materiam sibi proximam secum non rapit, & globuli tantum non habent conatum recedendi à centro ; ut vortex eò meliùs à vicino sibi adjacente possit deglutiri.

Th. 17. Ex illis, quæ th. 15. annotavimus necessariò sequitur, materiam subtilissimam seu primum Elementum ex Eclipticis vicinorum Vorticum per polos, aut partes polis proximas, versus centrum continuò fluere, indeque per Eclipticam in polos alterius, & sic in indefinitum erumpere ; quia materia Elementi primi, cum sit minor triangularibus globulorum interstitiis, nullis obicibus aut regagulis potest detineri, cumque in magno motu constituta, eò ire debet, quò versus nullam invenit resistantiam. Quoniam autem Eclipticæ fortiores sunt polis, & fortius agat in debilius, non ex polis in Eclipticam, sed ex Ecliptica in polos transire debet materia Elem. primi. Et licet ubique essent viæ pro materia subtilissima seu primi elementi, non potest tamen versus polos elabi ob indefinentem ab utraque parte fluxum materiæ primi, sed versus Eclipticam, ubi locus est exitus, propelli debet.

Th. 18. Talis autem transitus ex uno vortice in alium materiæ secundi elementi non conceditur, cum pro ipsa nullæ dentur viæ, per quas possit progredi; cumque materia primi transitu suo celerrimo per globulos se-

cundi usque ad superficiem sideris eos nonnihil pellat versus utrumque polum, & cum ille fluxus ad centrum & per consequens propulsus globulorum versus polos sit continuus, sequitur illos non tantum *aliquando non posse*, sed etiam *nunquam* ipsis concessum esse accedere ad centrum. Imò ponamus, omnem materiam, tam primi, quam secundi elementi tendere ad centrum aliquod; primi tamen, utpote in majore motu constituti & nullis obstaculis impediti prius ad centrum perveniēt, & accessu suo aditum secundi impediet. Et licet globuli perveniērent ad superficiem vorticis cujusdam, non poterunt tamen ulterius pergere, quia materia istius cœli semper conatur recedere à centro, & globuli in illam impingentes erunt motu aut debiliores, & sic nihil contra ipsam efficerent, aut æquales, & sic in æquilibrio subsisterent, aut fortiores, & ita in illam minus motam agendo amitterent vim propriam, eamque comprimendo Spatium angustarent atque motum efficerent celeriores, quo motu aditus ipsis occluderetur.

Th. 19. Si consideremus ea, quæ th. 17. de influxu materiæ primi elementi diximus, facile potest responderi ad quæstionem, quare nempe corpus Solare (quod de Sole dicitur, id de omnibus etiam fixis est intelligendum) Sit rotundum. Materia enim primi per polos vorticis usque ad Solem ingressa atque in eum impingens debuit necessario omnes globulos secundi æqualiter undique repellere, non tantum eos, in quos directè, uti fit versus polos, sed etiam eos, in quos obliquè reflectitur, uti contingit versus Eclipticam. Cujus rei causa altera potest addi, quòd scilicet globuli æqualiter tendant à centro vorticis: Versus Eclipticam quidem vi gyrationis; Versus polos autem virtute materiæ primi Elementi per

ti per

ti per polos ad centrum transeuntis, indeque omnes globulos repellentis: Et cum in hunc usque diem talis influxus continuetur, semper Sol manet rotundus, nec unquam aut quadratâ aut aliâ aliquâ figurâ fuit observatus.

Th. 20. Ex iisdem facili negotio solvimus difficultatem, Philosophis recentioribus, lumen in pressione globulorum consistere dicentibus, objectam, quod sc. *hâc ratione lumen tantum propagetur versus Eclipticam, non autem versus polos.* Quæ statim corruet, ubi observaverimus transitu celerrimo primi elementi per polos versus centrum Globulorum inde repulsionem; & cum in pressione lumen consistat, sequitur, illud versus polos mitti virtute particularum primi duntaxat, versus Eclipticam autem virtute & cœli, & materiæ primi, ut non minus poli, quam Eclipticæ lumen transmittant.

Th. 21. A continuo isto materiæ primi ex Ecliptica per polos ad centrum, indeque per Eclipticam in polos alterius fluxu & refluxu pendet solis in coelo obliquitas. Vortices enim sunt mole inæquales, adeo, ut alter alterum non possit directè tangere quoad polos & Eclipticam, sed necessariò quoad partes polis & Eclipticæ vicinas; ideoque materia subtilissima veniens ex vorticibus circumstantibus non potest directè polos ingredi, sed partes polis vicinas, ut in solem impingens removeat polos solis à polis coeli, sic ut inter se non situentur directim, sed unus ab altero aliquantum recedat, & per consequens motus vorticis & motus solis non fiant circa eundem axem, eosdemque polos. Quod phænomenon Galilæus ex maculis in Superficie corporis Solaris genitis primùm deprehendit.

Th. 22. Hisce cognitis, & iis, quæ th. 14. cum iis, quæ th. 17. diximus, collatis, levis erit explicatio

Solis versus Boream inclinationis. Cujus rei possibilitati nemo, cui sanum est sinciput, repugnabit, cum hoc possit pendere ex situ vorticum circumstantium mole inæqualium. Ponamus enim vorticem nostrum in medio firmo stare talo: A parte Austri cœlum majus, à parte Boreæ verò minus. Quò major autem vortex, eò majorem materiæ subtilissimæ copiam ex Ecliptica mittit ad polos vel partes polis vicinas. Coelum igitur à parte Austri positum (ex hypothese, quòd sit majus) plus vortici nostro communit materiæ primi elementi, quàm illud, quod jacet à parte Boreæ. Posito autem illo inæquali materiæ subtilissimæ ab utroque polo venientis ingressu, debet Sol antea in centro vorticis, quantum fieri potuit, accuratè constitutus, versus Boream non nihil propelli, & ab Austro magis elongari: Corpus enim minus non potest resistere majori, sed ab ipso protruditur, usque dum vires utrinque factæ fuerint æquales, adeoque hoc etiam est verisimile. Attendentes autem ad Phœnomena quædam, scilicet longitudinem & latitudinem Planetarum, semestris æstivi præ hyberno longiorem durationem &c. & totam cœli constitutionem perlustrantes, cum nullam aliam horum phœnomenorum causam dare queamus, absolutam videmus necessitatem. Neque tamen omnia sidera in coelo suo oblique necessariò esse posita, recta & infalibilis docet ratio: Possunt enim vortices, ab utraque parte siti, virtute & mole æquales esse, ut sidus hocce modo in æquilibrio positum in nullam partem inclinare possit.

Th. 23. Verùm duo hîc video mihi posse objici, quorum alterum, quòd, cum *Semper* ab altero polo materia primi in majore fluat copia versus centrum, sidus tandem è vortice omninò expellatur. Sed ex superioribus tenendum, totum cœlum gyrare circa sidus, & locorum

corum

corum inæqualitatem inæquali motûs celeritate compen-
sari: Cùm igitur Sol aut fixa versûs aliquam cœli sui par-
tem propellitur, locus ibi fit angustior & consequenter
motus eò celerior, qui impedit, quò minùs sidus ali-
quod ex vortice possit expelli. Alterum, quod posset
obtrudi, in eo consistit, quòd hóc ratione nulla fixa
posset dici subsistere in centro vorticis sui, (qualis enim
solis, talis etiam omnium fixarum est ratio) quod vide-
tur repugnare assertioni nostræ Superiùs jam datæ. Ve-
rùm etsi concedamus, nullam fixam esse in centro vor-
ticis Geometrico, nihil inde absurdi, cùm Phœnome-
nis minimè repugnet; quin potiùs hoc ipsum quàm ma-
ximè verum; Si enim rectè utamur intellectu rerum ar-
bitro, non posse eas in medio vorticum accurato (cùm
cœli, uti suprâ jam dedimus probatum, non sint per-
fectè rotundi) existere inveniemus.

Th. 24. In materia autem primi elementi, quam
diximus factam esse ex eo, quòd particulæ secundi non-
dum Sphæricæ, sed angulosæ, moveri non potuerint,
quin earum anguli abraderentur, tres possunt notari &
distingui magnitudinis gradus, ita ut pro variis angulo-
rum, ex quibus sunt excissæ, particulis, aliæ sint inde-
finitæ parvitas, aliæ verò crassiores, & aliæ denique
mediiores. Corpora autem, quò sunt crassiora, eò fa-
ciliùs movent, & difficiliùs moventur. Verùm quantò
aliquid plus movet, tantò plus motûs sui perdit, & ideò
particulæ crassiores movendo minùs crassas, multum sui
motûs amittunt, adeoque maximam partem reperiuntur
in ea materia primi elementi, quæ à polis versûs medium
cœli per lineam rectam tendit; ejus enim partes minùs
agitatæ sufficiunt tantùm ad istum motum per lineam re-
ctam continuandum, cæteris particulis fortiùs agitatis
utria-

utrinque deflectentibus per vias obliquas, ad quas decurrendas plus motûs requiritur in corporibus, cum omnis motus naturâ suâ sit rectus, & obliquè corpora non nisi ab aliis queant determinari; mobile autem facilius determinatur, quàm minus mobile. Idcirco hæ particulæ & crassiores & tardiores, mobilioribus & subtilioribus maximam partem obliquè abeuntibus, facile possunt concrefcere & cohærere. Unde, dum particulæ hæ crassiores & tardiores per triangularia globulorum se mutuò tangentium interstitiola transeunt, oportet, ut figuram assumant triangularem: Fluidum enim terminis aliorum corporum, quos inter continetur, semper terminatur, (uti suprâ jam dictum;) ideoque crassiores particulæ fluidæ materiæ primi Elementi perpetuò euntes per Spatia triangularia penes globulos relicta, induere debent figuram in sua latitudine & profunditate triangularem. Cum autem globuli sint perfectè Sphærici, & singuli moveantur circa proprium axem, medium inter strias Spatium debet esse concavum & excavatum. Globulis verò circa polos cœli gyrantibus, & quidem propiores usque ad certum terminum celerius, remotiores tardius, istarum striæ in modum cochlearum nonnihil intorquentur, & quidem magis vel minus, prout transeunt per globulos axi vorticis viciniore aut remotiores, quòd celerius in his, quàm in istis agitentur. Et hæc materia nobis dicitur striata, Magnetica, Ætherea, quæ mirabilium in mundo effectuum & mutationum causa est & mater, ut aliquo modo paulò infrâ dicetur.

Th. 25. Particulæ istæ Æthereæ inter globulos secundi Elementi ad centrum usque delatæ, si in eundem cum subtilissimæ primi elementi materiæ motum consentire nequeunt, ab illa sejunguntur, & aliæ aliis ob
figura-

figurarum suarum inæqualitates adhærendo magnos in superficie sideris moles aliquando componunt, ad quod quàm maximè juvat duplex earum compressio, altera, quæ fit à sidere, cui incumbunt, altera, quæ fit à particulis per polos ad sidus usque transeuntibus, & quia actioni stellarum in globulos, & per consequens eorum pressioni resistunt, instar nubis aut fumi sidus obtenebrant, id, quod maculas vulgò vocamus, & hoc modo tertium elementum esse factum constanter affirmamus.

Th. 26. Ordinariò quidem hæ maculæ generantur ad polos; ibi tamen ob continuum materiæ subtilissimæ per polos ad centrùm cujuscunque vorticis influxum subsistere non possunt, uti videmus spumas ex rapidissimo duorum fluminum in tertium delapsu ortas non hære in loco introitus ob indefinentem fluxum aquæ ex utroque fluvio rapidissimè promanantis, sed pelli versus loca exitus: Sic etiam hæ maculæ versus Eclipticam, ubi locus est exitus, materiæ primi Elementi accessu protruduntur, ut Eclipticæ semper prius occultentur, licèt successu temporis, pro ratione materiæ striatæ in vorticem adventantis, poli etiam possint oblcurari.

Th. 27. Atque hinc liquet, omnes Cometas & Planetas, tam primarios, (inter quos est & terra nostra) quàm Secundarios, densiores esse versus Æquatorem, quàm versus polos. Quod & quàm maximè confirmatur experientiâ, cum in Suecia ad polum Borealem sita magna ferri copia è terra eruatur, quod non fit circa Æquatorem, haud improbabili argumento, terræ crustam versus polos tenuiorem, ut melius ignis subterraneus in eam possit agere, versus Æquatorem verò densiorem.

Th. 28. Has maculas th. 25. & 26. descriptas verti in faculas, quandoque contingit, dum scilicet sidus, quod
 C antea

antea erat lucidum, & vicinum sibi stellæ maculis obdu-
ctæ vorticem comprimebat, ipsum densis macularum
corticibus involvitur, definitque in vorticem sibi propin-
quum agere, ut ille suas recipiat vires, & contra hunc
comprimat, ut magna copia materiæ primi Elementi in-
ter globulos contenta transeat ad ejus centrum, quæ ibi
circa maculas fluendo supra earum extremitates exsur-
git, & tunc intercepta inter illas & cœli superficiem cogi-
tur ad motum solito celeriore (sicut fluminum rapidi-
tas semper major est in locis vadosis & angustis, quàm
profundis & latis;) Unde lumen sideris aliquantò fortius
ibi debet esse, ut stellæ superficies antea minus lucida, jam
fiat lucidior.

Th. 29. Hæc autem lux iterum potest ipsi adimi,
dum prior suas recipit vires, iterumque in illum agendo
& comprimendo expellit materiam antea ipsi concessam,
& hoc modo sidus illud, quod erat valde lucidum, iterum
evadit opacum. Cujus illustre nobis præbet exemplum
stella illa nova in pectore cigni splendida, quæ apparuit
anno post Christum natum 1600. iterumque disparuit an-
no hujus Seculi 29.

Th. 30. An his maculis obductus fuerit sol, quum in
cruce penderet mundi Servator, non ita certò dicere au-
demus, licet non pugnet contra leges naturæ aut univer-
sales aut particulares, sed planè cum ipsis consentiat. U-
tique ab interpositione lunæ inter terram & solem hæc
Eclipsis orta non est, cum fuerit in plenilunio, in mediò
nempe mensis, quo tempore luna nunquam inter terram
& solem est posita. Sed de hoc, utpote rarissimo Miracu-
lo, & Divinæ Omnipotentia & Justitiæ Indicio peculiari,
cautius philosophandum putamus.

Th. 31. Porro stella multis macularum corticibus
invo-


involuta nullam habet vim secum rapiendi globulos, quō motus vorticis aliquantum sistitur, & æquilibrium, in quo antea stabat, tollitur, ut cœli proximi irruptionem in illum faciant, usque dum à validiori, qui longiore suâ excursione maximè vicinus est factus, absorbeatur, & aliquò usque versùs centrum (globulis inde recedentibus, & quicquid tantum non habet agitationis eò detrudentibus) propellatur. Hinc Cometas, hinc Planetas, inter quos est & terra nostra, fieri debuisse, si Deo lubuisset, eos ex primis principiis, secundum leges ab ipso positas, successivè fieri, sine ulla dubitatione affirmamus.

Th. 32. Nihil jam dicam de iis, qui de generatione macularum sententiam rogati statim ad primam causam, Deum puta, confugiunt. Quis enim nescit, Deum unicuique rei dedisse naturam sui conservatricem, nobis verò mentem causarum ac modorum & productionis, & conservationis cognitricem. Nihil de iis, qui ex crassioribus siderum particulis generari maculas asserunt & tuentur, quandoquidem illis non multum refragrabimur, licet sententia-nostra (ut cuique, si necessitas postularet, possemus dare probatum) multò sit sanior. Nihil de iis, qui cœlum esse incorruptibile affirmant, cum hoc falsum esse satis constet ex thesibus superiùs jam positis: quin potius nullum corpus in toto mundo tantas subire mutationes, quantas sol subit & omnes fixæ, affirmare cogamur. Ad unam tantum quæstionem satis celebrem paucis saltem respondebo, quousque scilicet vortices se extendant, sive an congeries cœlorum, quæ nobis dicitur mundus, sit finita, vel an se extendat in infinitum? Ad quod melius regerere non possum, quàm ingenuè fatendo, me nescire. Mundus enim tantus est, ut ejus fines capere non possimus; nam ubicunq; fines ponimus, semper ulterius extensi quid concipimus, atque ita fines, quos

mundo dedimus, eò ipfò auferimus. Nec possum dicere, eum esse infinitum, quia forsan Deus novit fines mundi: Ex eo enim, quòd nesciam ejus fines, non sequitur eos non esse, sed tantum, an sint, vel non sint, me latere, adeòque mihi esse indefinitum. *Neque nos ponimus medium inter duo opposita contradictoria;* mundus enim in se consideratus aut est finitus, aut infinitus; verum dicimus, nos latere, utrum ex his duobus sit eligendum, cum finitas mundo non repugnet, neque etiam infinitas (non perfectionis, quæ soli Deo competit, sed extensionis, cujus mundus capax est.) Minimè etiam sequitur; *Si mundus esset infinitus, Deus eum non posset facere majorem, adeòque Dei potentia esset exhausta:* Æquè enim ridiculum hoc est, ac si velles dicere: Deus eodem tempore, quo primum hominem, Adamum scilicet, creavit, non potest ipsum denuò creare, aut non potest facere, ut bis bina non sint quatuor, ergò non est omnipotens. Et hæc sententia sacris etiam paginis non repugnat, e. gr. loco 1 Reg. 8, 27. ubi dicitur: *Ecce cælum & cæli cælorum te non continent;* ex quibus verbis tale potest constitui argumentum: si mundus esset infinitus, necessariò posset capere Deum, cum infinito non detur majus. Atqui, non capit Deum, Ergo non est infinitus. Ad quod respondeo, certissimum esse, Deum non posse contineri mundo licèt infinito, cum sit Spiritus substantiæ suæ ambitum non habens. Hisce tamen nolumus absolutè affirmare ejus infinitatem, sed tantum mundi infinitatis *possibilitatem*, quòd scilicet ipsi non repugnet. Ipsi autem scholastici, dum dicunt, extra mundum dari spatia imaginaria in infinitum protensa, mundum faciunt reapse infinitum: Nam (præterquàm quòd dicere dari spatia imaginaria extra mundum, sit loqui mera contradictoria, cum imaginarium non nisi à parte mentis existat) omne

spa-

spatium est extensum, & extensio est attributum à corpore inseparabile. Verùm quia satis superque mundum, hunc adspectabilem ab ortu spectavimus, hîc brevitatis causâ pedem figo, & dissertationi huic Philosophicæ pro tenuitate ingenii mei elaboratæ finem impono.



SUFFIXA.

1.

NEc Plato, nec Aristoteles, nec Des Cartes, nec Papa Romanus, norma Philosophiæ statui debent.

2. Quantum tribuere debeamus Patribus in determinatione rerum Philosophicarum, vel imprimis ex Lactantio & Augustino, (at, quantis Ecclesiæ luminibus!) apparet, dum Antipodes ita strenuè negant, ut eorum defensores appellent stolidos, impios &c.

3. Quantitas à substantia corporea non differt realiter. Solide inter alios id evicit Dominus S. Maresius, maxime in suis Anti-Tirinianis, cum nondum contra popularem suum familiarissimum Renatum Des Cartes aut ejus Sectarios hostili calamo pugnaret.

4. Materia prima, sensu Peripateticorum, verè increabilis est.

5. Equè certa est probatio quatuor Elementorum per quatuor (ut vocant) qualitates primas, ac si quis denarium prædicamentorum ex eo probet, quòd Ignatius Loyola novem socios primitus habuerit.

6. De Anima placet sententia Augustini: Anima infundendo creatur & creando infunditur.

7. *Examen operationum Arithmeticarum, quod fit per abjectionem novenarii, non valet, nisi negative.*

8. 4. & 5. aliquando sunt 8.

9. *Plurium corporum conjunctorum, eademque vi quodummodov agitatorum alterum altero multo celerius agitari potest. Sic in magna illa machina aquaria ad pontem nostrum partes exteriores, quibus aqua hauritur, plus quam sexagies celerius agitantur, ac interiores partes axis.*

10. *Si vera sit hypothesis Ptolomaica vel Tyconica de coelo stellifero 24. horis circa terram gyrante, admodum inequalis videri posset divisio laboris stellarum: Circumpolares enim partes & stellae ferè otiosi videntur praeter iis, quae circa Eclipticam sunt.*

11. *Est certa numerorum proportio, in qua, etiamsi ab Adamo ad nos continua additio facta sit, & abhinc in infinitum additio fiat, nunquam tamen conficietur summa binarii.*

12. *Dantur duae quantitates, quarum una in infinitum augetur, altera in infinitum diminuitur: semper tamen ea, quae minuitur, magnitudine superat eam, quae augetur.*

13. *Homo in terra ambulans plus itineris capite, quam pedibus absolvit.*

14. *Duorum hominum eodem momento natorum & eodem momento mortuorum potest alter altero diutius vixisse.*

15. *Valles & aquas in luna nudis oculis, solo intellectu adhibito, cernere possumus.*

16. *Quaedam animalia in ea vivere necessum est.*

17. *Definitio corporis, quod sit compositum ex materia & forma, plura continet vitia, quam vocabula.*

18. *Terra non potest non deferri circa Solem.*

19. *Absurdissima veteris Philosophiae cantilena: Nihil est in intellectu, quod non prius fuerit in sensu.*

20. *Clara & distincta perceptio non potest non esse nota & criterium veritatis.*

Galle,

G Alle, Palatinas foedasti turpiter oras,
 Sedibus & Musas Nicrensis ejecisti,
 Atque aliis. Restat sed SPES pia, SEPS animarum.
 Fata viam invenient, qua Pax Musæque remigrent;
 Tuque Tuique, Potente Manu, Truculente, fugentur!
 Interea, studiis Doctis sacrata *Juventus*,
 Macti animo! Pacis studio dum plurimus Heros
 Pro *Patria Vestra* graditur per tela, per ignes;
 Perdius & pernox labor, O! exerceat omnes.
 Pax per Eos redeat, per Vos laus inclyta Musis!

L. Mq₃ ponebat

P R Æ S E S.

I Ncultos passim juvenes nunc currere cernas
 Ad Medicum, Νομικῶν, Theiologumque *Sacra*.
 Rarus is est juvenum, qui, libertate potitus,
 Excolat, in Studiis quæ malè culta suis.
 Rarior est *Linguis* qui pectus & *Artibus* ornet,
 Queis sine vir doctus nemo vocandus erit.
 His intemperis agitur nunc vana *Juventus*,
 Ut pennis expers posse volare putet.
 Non hæc, *Hermanni*, tibi mens. Neque *Sacra* docere
 Posse putas alios, qui fuit ipse rudis.
 Hinc & *Scripturæ Grajos* recludere fontes
Hebræosque Sacra, sedula cura tibi.
 Hinc clara & *Logices* præpandere lumina menti,
 Et *sacra Naturæ* discere, dulce tibi.
 Hujus das specimen studii, quum, Præsides claro
 TABING, nunc *Physicas* asseris ore *Theses*.
 Macte bonis animi tantis! Mihi crede, parata est,
 Si cupidè pergas, gloria magna tibi.

P. P. P. P. P. P.
 III



UT benè cœpisti Bremæ percurrere, cursum
 Sic studii pergas continuare Tui.
 Dicere quò possit *Patria ac Ecclesia*, nactam,
 Se *Doctum* Bremâ, Numine dante, *Virum*.

*Hecce Doctiss. Dn. Autori Conterraneo suo
 Politissimo in signum amicitie apponere
 voluit*

Joh. Jacob Guckmack,
 Edencobâ-PALATINUS. SS. Th. St.



* * *

Philosophûm scandis Cathedram! Quos proferet ætas
 Fructus! Quid dehinc æva futura ferent!
PORTU de MUNDI summâ scis laude sophari
 AUTOR! ut hîcce satis publica verba probant.
 En, quid Sisyphii possint, HERMANNE, labores!
 En, benè, quid, tempus sæpè locâsse, juvet!
 Apprecor ergo *Tibi*: Sic gignas gaudia *Patri*
 Sic *Matri* fulcrum sis, *Patriæq;* decus.
 Hoc opus extollant mox tempora grata, *Tibiq;*
 Jubila non tantùm; præmia Summa parent!

* * *

Nach herber Winters Luffe / nach manchen rauhen Tagen
 Sieh't man nun wiederum die Felder sich schön tragen /
 Nach neuer Sommers-Art / Aus Sonnen-warmes Lichte
 Ein jedes grünes Kraut und Gras aus Erden bricht.

Es

Es will nun in der Erd kein Kräutlein sich verstecken/
 Der weltten Welt will es auch seine Krafft entdecken/
 Es will des Schöpfers Lob in seiner Gaben Prie
 Der Welt auch stellen dar und rühmen nach Gebühr.
 Es lockt die Frühlings-Lufft die Vögeln hell zu singen/
 Und sich aus Löchern auf und Himmel an zu schwingen/
 Sie können nicht umbhin/ zu legen an den Tag
 Was Gottes Seegen und erwießne Güte vermag.
 Die Lerch hat lang genug ihr Zünglein müssen zähmen/
 Und in schwarz-kühler Erd den Ausflug müssen hemmen;
 Die Schwalbe wolt auch nicht vergraben ihren Nahm
 Dort in der Seen Sumpff und in des Meeres Schlamm.
 Mit seiner Ankunfft uns der Storch die Zeit wolt lehren/
 Umb sich aus stiller Nacht ans Tages-Licht zu kehren.
 Was lang verborgen war durch kalte Winters-Nacht/
 Wird durch des Frühlings Wärm an Somers-tag gebracht.
 So will Er/ werth'ster Freund/ bey diesen Frühlings-Tagen
 Sich auch vor sich allein nicht Sich bey Sich vertragen:
 Er hält es fest dafür: Der seye nichts geacht/
 Er hab's in Wissenschaft auch noch so hoch gebracht.
 Es helff den Weisen nicht in Kunst seyn hochgestiegen/
 Wo Er damit doch wolt stets im Verborgnen liegen/
 Und nur Sein'n sauren Fleiß den Er stets angewandt
 Auch der gelehrten Welt nicht machen wolt bekant.
 Wer wolt nicht loben hier Sein löbliches Beginnen!
 Dem nur noch mehr bekant das Aussehn seiner Sinnen.
 Er lege dann an Tag des Winters sauren Schweiß/
 Und seinen Musen-Fleiß Er aller Welt beweiß.
 Er laß uns jekund sehn wie Gott auch offenbahret
 Sein Güte nebst seinem Wort/ da Er so viel bewahret
 Vor Menschliche Vernunfft/ da sie von Weißheit redt
 Was mancher nicht gehört / noch weniger versteht.

D

Wie

Wie klüglich kan Er nicht und rein philosophiren/
 Wann Er das/ was die Schrift/die Sinn zu excoliren
 Und selbst zusinnen nach/mit Fleiß verschwiegen hält/
 Vom Wesen und Natur/ von Aufkunft dieser Welt/
 Und was dergleichen mehr / darin Er hier bewiesen/
 Daß Er mit aller Sorg und Eysser sey beflissen
 Wie Er in kurzer Zeit selbst auf Parnassus Spiz
 Mit Ehr erhalten woll ein hohen Musen Sitz.
 Und wer wolt doch hieran in Zweiffels-Forchten stehen?
 Der nur dieß Meisterstück wolt ohne Reid ansehen/
 Es ist ein Werck gesät / gepflügt auf eigener Erd
 Geerndt auf eignem Grund/ an Weisheit rein bewährt.
 Es wird kein andern Herrn als Herrn Hermanni kennen/
 Auch kein'n sein'n Meister nicht / als eben Diesen nennen/
 Es ist sein's Fleisses Blüht/es ist sein's Schweisses Frucht/
 Es lobt der Lehrer Fleiß und wohl gelung'ne Zucht.
 Es zeugt von Ueberleg'n/ auch Nächt- und täglich'm Lesen
 Der Schrifften dessen / der an Weisheit ist genesen
 Und grosses Licht gebracht zu brauchen sein'n Verstand
 CARTESII des Lichts/ das aller Welt bekant.
 Was muß nicht diese Prob allein von Ihm bezeugen?
 (Ich sag) wie wird sie nicht das Vatter-Herze beugen?
 Das da mit fremdden Leyd und Sorge ward gekränckt/
 Das ohne das der Feind mit Jammer-Tropffen kränckt/
 Sie wird des Vatters Sorg und Mutter Angst versüssen/
 Sie wird dem ganzen Hauß sich geben zu geniessen
 In Hoffnung-voller Freud / in Liebe sonder Reid/
 Die Hoffnung daß dem Sohn noch hohe Ehr bereit.
 So fahr Er Werther fort die Gaben zu vermehren/
 Zu sammeln solche Schätz/ die nicht die Jahr verzehren/
 So leg Er Hände an zu bauen solche Bäu/
 In den'n die Weisheit wohn/ darinn Er ruhig sey.

Wir

Wir haben leyder! ja mit Thränen gnug gesehen/
Wie Güter/Hauß und Hof so bald in Asche stehen.

Ja reißt des Feindes Hand dieselbe schon nicht ab/
So wirfft der Zeiten Zahn dieselbe bald zum Grab.

Wie manche Schätze seynd nunmehr nicht mehr zu nennen/
Wie manche Mauerstatt läst sich nicht mehr erkennen!

Die Reichthüm sind dahin/ und was noch in dem Land
Ist Morgen nicht mehr da/ ja in des Räubers Hand.

Und was noch übrig blieb das nimt die dürre Hand
Des Todes endlich doch / wann aus dem Lebens Land
Derselbe uns verjagt und uns're Güter raubt.

O! samle was Bestande/ was nicht der Wind verstaubt.

Die Weißheit hat Bestande/ die macht das Holz zum Throne/
Die lebt im Todt und hat der Nach-Welt Ruhm zum Lohne.

Ein immerwährend Hauß die Tugend sich selbst baut/
Die Zeiten schonen Ihr'r/ dem Todt vor Ihr es graut.

Die Güter des Gemüths die können nicht vergehen/
Sie bleiben selbst dem Feind stets zum Entsetzen stehen.

Ein Schritt der ist gethan. Mein Freund! fort! ohn Ver-
Auf Heliconis Spiz ist dieses Guts Genuss. (druß/

Er schreite Schritt vor Schritt zu höhern Ehren-Stellen/
Es wird des Himmels Gunst zu Ihme sich gesellen.

Es reu' Ihn keines Fleiß's zum Dienst dem Vaterland
Und seiner Eltern Cron und Ruh in seinem Stand.

Hat gleich der Himmel jetzt uns seinen Fried entzogen!
Er wird uns desto mehr bald wieder seyn gewogen.

Komts schon jetzt bitter an? getrost und gutes Muths!
Beständige Gedult und Fleiß verheißt viel Guts.

Scheint uns der Himmel auch all Hoffnung zu verstöhren?
Nach langer leerer Blit komts endlich froh Erhören!

Er wird uns wiederum bald rücken an dem Pol/
Uns werffen in den Schoß ein lang gewünschtes wol.


Das

Das wird Ihm/ werther Freund/ ja Uns auch endlich allen/
 Nach Fleiß/ Gedult und Bitt vom Himmel wieder fallen/
 O treuer Musen-Sohn! so fahr er dann stets fort!
 Der Weg der wird Ihn führ'n zu hoher Ehren-Pfort.

So sollte und wolte dem Hn. Autori und Respondenti, als
 seinem werth: und lieben Freund und Landsmann die Pflicht:
 te der Freund: und Landsmannschaft/wie billich/also
 wohlmeinend und glückwünschend erstatten

Tilemannus Henricus Siegel/

Mannb: PALATINUS, SS, Th, Si, Opp.



Da Mars den Degen schwingt/ und seine Fahnen fliegen
 Zu Wasser und zu Land; da man nur hört von Kriegen:
 Da ganz Europa sich in Eisern Harnisch zeigt/
 Da sich die weite Welt zum Untergange neigt.
 Da aus dem Grunde sich die Erdenklüfft' erheben.
 Daß grosse Königreich' und Stadt und Länder beben;
 Das Dir dein Vaterland mit eignem Beispiel lehrt/
 Da auch in Asch und Staub die Städte sind verkehrt.
 Da fängst Du kühnlich an das Gegentheil zu treiben/
 Vom Anfang dieser Welt und Ursprung viel zu schreiben;
 Du meinst vielleicht/ du seyest von solchem Unfall frey/
 Daß jener Untergang/ der andern Aufgang sey.
 So geht es in der Welt! der Eine legt sich nieder/
 Der Ander steigt empor/ und zeigt sich prächtig wieder:
 Wann hier des Tages Licht vollendet seinen Lauff/
 So geht es anderswo von neuem wieder auff.


Dieses Wenige setzt seinem werthsten Freund
 und Herrn Conterraneo

JOHANNES PETRUS SCHARD,

Moncingâ - PALATINUS, SS, Th.

Cult. Opp.

Hac



HUc, qui Cartesi nobile ducitis
 Nomen! Politæ mentis acumina!
 Huc pura qui puro refertis
 Ore Philosophico! Venite:
 Mundi mirandam Vultis Originem
 Doctè Solutam? fortiter arduum
 Defendet Autor & Respondens
 Hoc opus è Cathedra Parnassi.
 Sic Verè monstras, tempus inutile
 Non esse tritum deliciis malis:
 Sed artibus valdè decoris
 Quod specimen Sophicum remonstrat.
 Jam Livor audax, quid petis arduam
 Virtute mentem? Palliæ, quid redis?
 Virtus virescit: pressa fortis
 Palma cacumen ad astra tollit.
 Ut pura Cœlo Cynthia splendido
 Nil curat iram, nil rabiem canis;
 Sic spernit omnes hos Amicus,
 Sicque Tuum, Theonine, dentem.
 Grator impensè: Jova remuneret
 Conatus probas; pergere sic stude;
 Ut fama læto vecta curru
 Nomen in Orbe Tuum Celebres.

Dabam Hamburgi d. 10.
 Aprilis. st. v. 1695.

Ita Nobilissimo Domino Autori
 Applaudere voluit,
 debuit

Petrus Amyraldus,
 PALATINUS,
 SS. Th. Cult.

Hatuel

HAud facis immeritò, dum nobis, *Chare Sodalis*
E gregiè monstras *magni primordia mundi;*
R estituent etenim sic indelebile nomen
M usæ, sic magnò *Te transegisse labore*
A nnos ostendis, vigilans sic pergito semper;
N ec *Te* poeniteat: merces erit ampla laboris:
N amque exindè *Tibi decus* immortale parabis,
I nque *Tuus* studiis *Tibi dux* erit Ipse Jehova.

Præstantissimo, doctrinâ moribusq; Ornatissimo Domino
Autori ac Defensori, Amico Perquam dilecto etis Philias
etiam hæcce adjicere debuit Ipsius
commensalis

Job. Jacobus Hoffmannus, Scaphusiâ-
HELVETIUS, SS. Th. St. Opp.

Magna quidem Laus est vexatas ponere Theses,
 Major erit, partum, si tueare, *Tuum:*
Maxima si *Cathedram scandas Defensor & Autor,*
 Sic patet impensos non periisse dies.
Vendicat hanc merito *Totam sibi Suavis Amicus,*
 Qui pede porrecto *pulpita docta* petit;
Ardua dum solidè monstras *Primordia Mundi*
 Ansa *Palatinis* plaudere vota datur.
Gratulor; Inceptum sic posthac dirige cursum
 Ut fias *Patrii flosque decusque* soli;
Nec *Te* detineant à scopo *verba malorum,*
 Salva manet *virtus,* pallide *livor* abi!
Cresce, Vigesce, Augesce, Valesce, Viresce, Senesce,
Annis, Famâ, Opibus, Corpore, Mente, Fide.

Hæcce vudi quidem Minervâ largo attamen affectu in
Honorem Præstantiss. Domini Autoris, Amici, Con-
terranei ac Contubernalis Sui Suavissimi gratu-
labandus apposuit

Philippus Otto Bambach,
Crucenaço-PALATINUS, Phil. S

